

# EPISTULA LEONINA

## CCXXXVI

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXXV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM TRICESIMAM SEXTAM (236) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	02-03
<b>PARVA LEVES CAPIUNT ANIMOS.....</b>	04
<b>CHRONOGRAMMA PATRIS DOUTEIL BRASILIENSIS.....</b>	05
<b>CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM.....</b>	06
<b>CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM.....</b>	07-08
<b>UTINAM RENASCATUR EPISTOLOGRAPHIA!.....</b>	09
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE:</b> Jochen Dreier 10-12 – Gaius Licoppe, Belga medicus, editor Melissae, Academiae Nestor, Latinitatis vivae veteranus optimē meritus: 13sq.. – Xavierus Morente Catalanus: 14sq. - Naevius Sartorius iurisconsultus Augustanus 15-20 – Radulfus medicus Eques Rizalianus 20sq. – Urbanus Ferrarius Brasilianus 21-24 – Iohannes Knijff Batavus musicus Monacensis interpres Maupassantianus 24sq. – Theodericus Stratmann Berolinensis 25-28 – Daniel Blanchard Parisinus compositor melodiarum, Academiae sodalis 29sq. – Marcus Cristini Italus philologus promotus de Latinitate vivae optimē meritus 30-33. – Günter Schäfer Germanus magister Latinitatis. 33.	
<b>CHIONOLOGIA (II).....</b>	34-53
<b>SCHOLA LATINA.....</b>	54-55
<b>ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	56-59

## PRAEFATIUNCULA

### LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

**Cara Lectrix, Cara Lector,**

gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae. Hac quoque in Epistulâ Leoninâ habemus delectamenta vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis! **PARVA LEVES CAPIUNT ANIMOS.** His verbis Nasonis lepidissimis incohamus opusculum nostrum huius septimanæ Leoninum. Ovidius quales sentit animos leves esse? Certê hic »tenerorum lusor amorum« (qualem ipse se vocat) hôc adiectivo non utitur, ut sensum exprimat levitatis peiorem. Oportet non semper, sed interdum animo levi esse, ut sustineamus vitae gravitatem maiore cum patientiâ, aut – ut psychologi dicunt moderni - resilientiâ, oportet interdum ludere! **Fridericus Schiller** iuxta illum Iohannem Wolfgangum alter coryphaeus poeseos theodiscae, nos docet **hominem non esse ex integro humanum nisi ibi ubi ludat**<sup>1</sup>. Nos in his Epistulis Leoninis saepe ludimus et alludimus verbis et

---

<sup>1</sup> orig. Der Mensch ist nur da ganz Mensch, wo er spielt. Schiller, Über die ästhetische Erziehung des Menschen.

*nominibus, sed minimē reticemus vitae angustias atque aerumnas. Omnia enim studemus verbis exprimere quam Latinissimis. Nam verum, ut ait Hegelius philosophus illustrissimus, est totum!*

*Si nos – sive aliarum rerum sive pseudopandemiae causâ – insulati sumus, optima methodus cogitationes animaeque commotiones inter nos communicandi est epistolographia.*

*Nolumus autem signis concisis et abbreviatis et mutilatis raptim pauca conscribillare verbula inania contextûs atque cohaerentiae prorsus expertia, quasi eadem eructemus vel evomamus, sed studemus cogitationibus commotionibusque animae nostrae togam induere, easdem nobilitare sermone senatorum Romanorum, iisdem inspirare spiritum antiquorum philosophiae cultûsque civilis. Si nobis contigerit, ut hoc inceptum labore dignissimum aliquatenus adducamus ad veritatem, »sublimi feriemus sidera vertice«. Itaque ars epistulas conscibendi omnibus Latinitatis vivaे defensoribus est carissima ! Intimo ex animo invito te, cara Lectrix, care Lector, ut mecum communices commercium epistularum. Sequamur magnum illum Batavum studia humaniora amplexum, qui nos docet de epistulis conscribendis – ut nos homines fiamus humaniores.*

**Medullitus Te salutat**

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Lunae, 19. m.Apr. a.2021**



**Parva  
leves  
capiunt  
animos.**

## **PARVA LEVES CAPIUNT ANIMOS.**

**OVIDIVS, Ars Amatoria I 159**

Parva leves capiunt animos: fuit utile multis/ Pulvinum facili composuisse manu./ Profuit et tenui ventos movisse tabella,/ Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem./ Hos aditus Circusque novo praebedit amori,/ Sparsaque sollicito tristis harena foro.

# **CHRONOGRAMMA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS**

Zum 16. April, zum **93. Geburtstag des emeritierten Papstes Benedikt XVI:**



2021\* BeneDICte XVI papa eMerIte, qVI VenIstI pro totIs nobIs CrVs et Cooperator VerItatIs et VItae atqVe pIetatIs IesV ChrIstI, VaLeas. - Benedikt XVI. emeritierter Papst, der du für uns alle als Stütze und Mitarbeiter der Wahrheit, des Lebens und der Güte Jesu Christi gekommen bist, sei gesegnet!

# CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM

Gruß aus Münster. HD

Zum 16. April 2021

**NOBILIS SIR PETER VSTINOV HISTRIO  
INGENIOSVS GRATVSQVE AVCTOR FACETVS  
PACIS FAVTOR TENAX HODIE CENTVM ANNIS  
ANTE NATVS**

Der berühmte Sir Peter Ustinov, genialer und beliebter Schauspieler, humorvoller Schriftsteller, beharrlicher Pazifist, wurde heute vor hundert Jahren geboren.

hdf

# CHRONOGRAMMA ROESSLERIANUM

Sir Peter Alexander Baron von Ustinov

\* 16. April 1921 in London

† 28. März 2004 in Genolier, Kanton Waadt



V I G I N T I L V S T R I S A N T E

VI K A L . M A I A S L O N D I N I N A T V S

P E T R V S V S T I N O V

V I R P O L Y G L O T T V S

I L L V S T R I S H I S T R I O B R I T A N N I C V S

BIS QVINQVAGINTA ANNS ANTE  
VI KAL. MAIAS NATVS  
PETRVS VSTINOV  
ILLVSTRIS HISTRIO BRITANNICVS  
SCRIPTOR ET DEFENSOR PERTINAX  
PACIS

MMXXI

Danke – gratuliere wieder einmal – darf ich Ihre Anschrift an SPQR [SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com) weitergeben, damit die Chronogramme regelmäßig veröffentlicht werden können, es wäre zu schade, wenn sie zwischen uns blieben! Pe. Herbert

## UTINAM RENASCATUR EPISTOLOGRAPHIA!

**Simon Garfield** Britannus a.2013 in lucem edidit opus, quod inscribitur: „*Liber epistulae dedicatus. Iter per mundum evanescentem factum.*”<sup>1</sup> Quo in opere auctor contendit nuntiolo electronico<sup>2</sup> invento artem veras epistulas scribendi iam esse emortuam aut saltim paulatim intermori sive evanescere. Meum autem propositum est hanc thesin Garfieldianam refutare – aut, si Simon rectē iudicat – quantum potero, studere, ut ars epistolographiae pulcherrima et iucundissima et maximē mirabilis quam celerrimē renascatur! Quid Tibi, cara Lectrix, care Lector, videtur de hôc proposito mei ambitiosissimo? Intimo ex corde te rogo, ut mihi assis hanc renascentiam foventi! Scribe mihi epistulas Latinas! Certiorem me facias de quacumque re quae tibi in buccam venerit. Noli timere, ne more Zoili aut Orbilii plagosi aut hypodidascali pusillanimi tibi vitio vertam stribiliges, quae epistulis perfacile irreperere solent. Credamus Hieronymo dicenti errare humanum esse. Nam cum Seneca nobis dicat nullum corpus esse sine naevis et verrucis, tum Ovidius nobis affirmat formosissimum esse corpus parvulo vitiolo praeditum.

**Victorius Ciarrocchi** Italus Pisaurensis, sodalis Academiae Latinitati Fovendae (ALF) optimē meritus, collegit et scripsit **VARIA LATINITATIS VIVAE TESTIMONIA**. Quae edita sunt a.2012 in Domo editoriâ Lauretanâ (“ELI”, Loreto-Italia). Maximē aestimo hoc cimelium Latinitatis vivae, quo evidenter appetet epistolographiam nequaquam esse emortuam!

Cara Lectrix, care Lector, si epistolia sequentia legendo perlustraveris, quae modo demum accepi ab hominibus variae nationis variaeque professionis Latinis verbis scripta, facile mihi assentes in mundo Latinitatis vivae artem epistulas scribendi minimē emortuam esse, sed vivere, crescere, florere...




---

<sup>1</sup> Titulus originalis: TO THE LETTER. A JOURNEY THROUGH A VANISHING WORLD.

<sup>2</sup> i.e. orig. e-mail.

## **ECHUS VOCES EPISTULAE**

### **JOCHEM DREIER LEONI LATINO S.D.P.**

Gratias ago, quod epistulam meam, quamquam criticam, publice promulgasti et electis verbis tractasti.

Opiniones nostrae controversiae permanent, tamen mihi probandum est eas plane disputari posse.

Praecipue ob id iterum scribo, quod mihi mentione dignum esse videtur, nostras controversias quasi duo archetypa philosophandi patefacere. Iam veteres Graeci hos duos modos cogitandi et politice agendi fundaverant.(Platon vs.Aristoteles)

Alii ex philosophis **rationales** nominantur, qui sibi persuasi sint veritatem in mundo sua propria substantia existere et mutabilem non esse. Sed eam **ratione** invenire posse et debere. Clavem veritatem aperiendi „methexim“ sive fidem religiosam, sive rationem hominis logicam esse, sive modo delectationem alicuius doctrinae communitatem colendam.

Alii negant veritatem intelligibilem existere. Philosophis satis est explorationes rerum intra terminos rerum visibilium facere, qua de causa **empirici** nominantur. Numquam cognitiones confici, scientificos semper in via quaerendi esse confirmant. Errores necessaria instrumenta quaerendi esse, et discendi facultatem permittere.

Inter has opiniones generales extrema rara sunt, plerique huc et illuc iactantur vel viam medium petunt; etiam tu in epistula CCXXXII concedis alteram partem esse audiendam.

Haec duo principia res naturales cognoscendi distincte **Celsus** in proömio sui operis „de medicina“ et de arte medendi conscripsit. Ille homines rationales cum hominibus empiricis confert.

Ut **ad res politicas** recurram, Angela Merkel et nonnulli ministri sunt homines empirici, qui praemissas coniecturas pro incerto habent et experimenta probanda preeferunt. Cursus falsus secundum experimentiam corrigi debet. Qua de causa cautos passus ad epidemiam

tollendam malunt, theorias grandes et saepe simplices conceptas et mente capabiles proferre vitant, quae periculum „naufragii“ subeunt.

Uniuscuiusque est divergentes decernere.

Equidem dico: „Timeo politicos, qui veritates pronuntiant, alios parum accipiunt, sive leviter eos derident sive opprimunt.

Cura ut valeas

Jp

Jochen Dreier

Sun, 4 Apr 2021 18:32:39 +0200

### **LEO LATINUS IOACHIMO DREIER SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Ioachime, pro rationibus philosophandi rationalibus et empiricis nobis scitê atque benignê explicatis. Hae explicationes sunt utiles; pro certo habeo inter lectores nostros fore, qui iisdem doceantur et delectentur. Itaque hae explicationes tuae dignae sunt, quae hôc loco in lucem êdantur.

At - pace tuâ, mi honestissime - omnino non intellego, quo fulgure mentis excitatus credideris haec principia philosophandi transferri posse ad istos furciferos, qui ex plus integro iam anno nos – sub praetextu pandemiae putativae – iuribus fundamentalibus sublatis vexant praeceptis mascae et quarantaenae et vaccinationum prorsus inutilibus, immo nocentissimis! Omnia praecepta gubernantium ad pseudopandemiam spectantia sunt falsa et intra se et inter se contradictentia. Audi verba *Gunnari Kaiser* poetae et philosophi et magistri, qui rem acu tangit:

[\*\*https://www.youtube.com/watch?v=zjUFXn6WAiE\*\*](https://www.youtube.com/watch?v=zjUFXn6WAiE)

**GUNNAR KAISER: Sehe ich das richtig?**

Si scire vis, quomodo medici epidemiae et virologiae vere periti (independentes et incorrupti) iudicent de remediis coronariis a gubernatione nostra adhibitis, audi emissionem radiophonicam, quae sequitur:

<https://podcasts.apple.com/ch/podcast/flg-114-mit-goldenen-z%C3%BCgeln/id1504760857?i=1000515295992>

### Folge114 – Mit goldenen Zügen [indubio](#)

Nimio honore philosophico, bone Ioachime, mihi videris afficere istam excetram balneis chalybeis prioris dictature socialisticae olim iam obduratissimam, quae nunc cives subigendo et oeconomiae ruinam efficiendo studeat tyrannidem propriam prolongare usque ad Kalendas Graecas. Numquam homo tam falso et inepto supernomine appellatus est quam cancellaria ista: „matercula” sive “mamma” neque est neque mores habet maternos, sed maximē novercales.

At istum statum civitatis nostrae deplorabilem, mi care vir humanissime, nos ambo, neque tu neque ego sanare valemus; itaque minimē necessarium, immo stupidissimum esset nos philologos atque philosophos de eādem rixari ore spumoso bilem moventes. Nos maneamus philosophi.

Placent mihi preces *Reinholdi Niebuhr*, quas in Latinum convertam:

*“O Deus, facias animum meum tam aequum, ut patiar has res adversas, quas mutare non possim; facias tam audacem, ut illas mutem, quas possim mutare; facias tam sapientem, ut has ab illis discernam”.*

Denique mihi solacio haud exiguo esse videtur sententiola illa ad arbusculam māliferam pertinens, quae a *Martino Luthero* dicta esse dicitur:

*„Si scirem mundum cras esse interitrum, hodie adhuc sererem arbusculam māliferam.”*

Haec hactenus, mox, si volueris, libenter plura. Utinam tibi sint multae occasiunculae fructuosē philosophandi. Vale pancraticē et perge nobis favere.

Medullitus te salutat  
**LEO LATINUS.**

Am 16.04.2021 um 08:47 schrieb Licoppe-Deraedt:

### **Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Accepi quidem utrumque; gratias tibi ago pro Leone Latino, quem nondum potui perlegere. Perdifficile est de vestitu tractare; praeter enim vocabula generalia, nimia est copia vocabulorum nostro tempore in usu, sed eis adiungenda sunt vocabula praeteritorum temporum. Non raro evenit ut legendo occurerem vocabulo mihi omnino ignoto. Quae cum ita sint, si mihi Latine citanda est vestis quae vocabulo generali non satis significatur, utor vocabulo vernaculo hodie vel olim in usu. De Calepino re vera non est nova editio, sed in Academiae sede divulgabitur additamentum.

Cura ut valeas.

### **Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic.**

Gratias summas pro responso prompto. Iam timueram, ne epistula mea perdita esset mendo electronico. Revera vestium nomina sunt permulta, quorum significatio non semper est satis exacte definita. E.g. notiones quae sunt "amiculum" et "iacca" et "colobium" non semper sat subtiliter inter se distinguuntur. Et "parca" et "anoracium" (vestimenta Esquimensium - aut potius - ut nunc sunt appellandi politica cum rectitudine! - Innitarum) - quo criterio inter se distinguantur, nondum intellego. Interdum conatus nomina exacta inveniendi me monent illius proverbii: "De gustibus et coloribus non est disputandum". Vests quia spectant ad "modam" (quam formam verbi Alberta nostra mihi videtur prima ausa esse adhibere, nonne?), parum accurate possunt denominari. Ceterum iam pridem animadvertis collegas nostros interpretes linguarum modernarum non maiore subtilitate operari quam nos! Tamen ne desinamus, quantum possumus, nomina apta invenire. Nam Linneus Suetus ille nomenclator plantarum et bestiarum ingeniosus nos monet: "**Nomina si pereunt, perit et cognitio rerum.**"

Huic epistulae subiungo ACCESSORIA. Quae si perlustraveris, scribas, quaeso, quidcumque tibi videatur corrigendum aut supplendum.

Gratias in antecessum plurimas, praesertim pro constantia atque fidelitate cooperandi tua, mi care sodalis.

Haec hactenus, mox certe plura.  
 Medullitus te salutat  
 Nicolaus.

d. Saturni, d.17 m.Apr. a.2021 h.14:26:37 +0200

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Per pulchra est, necnon verissima, haec Linnaei sententia. Ceterum ‘Accessoria’ mihi bene allata sunt; ea quam primum inspiciam. In initio documenti, inter Francogallica iam sunt nonnulla vocabula nobis omnino ignota. Sed de his mox plura. Optime vale!

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Electronica volant, manu vel prelo scripta manent. Iuvenes magis magisque inculti nuntiolos telephonice mittunt, quorum forma nobis est inintellegibilis. Inde fit ut perdatur orthographia et sermonis perspicuitas.

Harum rerum effectus est pessimus. Medici e.g. non solum textum dilucide conscribere iam non valent, sed insuper eorum orthographia pessima facta est. Quaedam secretaria magni nosocomii Bruxellensis mihi nuper misit florilegium monstruosorum mendorum, quibus in relationibus medicis occurrit.

Non tamen omnino despicio informaticae progressus, qui magnae utilitati sunt. Evidem fere omnia ordinatio scribo, id quod multo commodius est; sed res alicuius momenti in chartam papyraceam transfero.

Volui ‘Melissam’ servare impressam, ea de causa.

Cura ut valeas.

A 15-04-2021 23:15, SPQR escrigué:

**LEO LATINUS XAVIERO SAL.PL.DIC.**  
**S.V.B.E.E.V.**

Iam diu, care sodalis, nil a te accepi. Primam partem versionis tui iam pridem publicavi, sed nihil mihi scripsisti postea. Placuitne publicatio primae partis tibi an displicuit? Ceterum quomodo vos Catalani patimini quarantaenam publicam et generalem? Ceterum quomodo tibi

placent Epistulae Leoninae? Argumenta tibi placent an mavis alia legere?

Vale pancratice. Responsum tuum exspecto cum suspensione animi.

Medullitus te salutat

LEO LATINUS

### **Xaverius Leoni Latino s. p. d.**

Incredibile dictu! Epistulam in qua primae partis versionem publicasti (CCXXIV) non recepi!!!! Hodie visitavi Ephemeridem, Nuntios Latinos universos, et ibi tuam magnificam versionem inveni. Ea mihi valde placet. Multum in ea de arte in Latinum vertendi didici. Video te a nota "Subc." abhorrere; ea usus sum quia volebam notam "Lieut." servare, sed intellego verum Latinum non esse. Postremae lineae a te publicatae mihi difficillimae videbantur dum versionem faciebam; nunc autem in tua versione clarae et perspicuae sunt. Gratias maximas tibi ago!! In tuis epistulis malo versiones hodiernae litteraturae legere. De re publica et sanitate iam nimis in televisorio et radio et ephemeridibus audio... Cura ut valeas! F. X. Morente

**Am 06.04.2021 um 22:40 schrieb SPQR:**

**Leo Latinus Naevio suo s.**

Ecce Rabbi prudens! Sacerdotes Christiani usque nunc minus clare dixerunt de vaccinatione coronaria (qui plerumque verniliter repetebant commendationem gubernationis propagandam.) "31 causae, quibus non sinam me vaccinari."

**Naevius Nicolao s.**

care amice, gratias tibi ago pro hac epistula Rabbi Weissman. Videtur esse vir qui audet sapere, sed dicit nonullas res dupliciter, etiam tripliciter - non possum videre differentiam substantivam in partibus 13, 20, 23; tu potesne? - et pro certo habet multas res quas examinare non possum. Nescio utrum verum an falsum sit quod dicit de Gates, de directoribus Pfizer. Dicit eos adhuc non accepisse vaccinationem, voluntarie abrenuntiavisse. Quid sentis?

Medullitus te salutat

VN

**Nicolaus Naevio s.**

Profecto ego quoque inveni quandam redundantiam in verbis huius rabbi. Tamen habet multa digna consideratu. Usque nunc nihil comparabile inveni in litteris sacerdotum christianorum publicatis. Qui solent serviliter sequi doctrinam gubernationum. Haec hactenus, mox certe plura. Sit tibi dies iucundus. N.

**Nicolaus Naevio suo s.**

Quid fit, quid agitur? In schola hodie custodivi discipulos classis sextae qui per duas fere horas nihil fere faciebant nisi per oecum cursitabant et aeropiana chartacea proiciebant. Pensum exercitorum sermonis anglici a magistra missum iam die praeterito tractaverant. Attendendum mihi fuit, ne quid affligerent, ne quem violarent (distantia coronaria - eheu! - vix umquam servata est!). Profecto timeo, ne miseri discipuli effectu quarantenae atque institutionis interretialis stultescant et obbrutescant. Infra legas quaeso epistulam Gaii Licoppe Belgae grandaevi medici olim radiologi et veteranus Latinitatis Vivae et Academiae Latinitati Fovendae.

Ei vehementer displicant verba Rogerii Köppel Turicensis. Quid tibi videtur? Scribe quidquid tibi in mentem venerit. Si assenseris, libenter verba tua publicabo in proxima Epistula Leonina.

Cura ut quam optime valeas, mi care Naevi.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

**LEO NAEVIO S.**

CRESCIT NUMERUS VICTIMARUM: LAUDANDI SUNT HOMINES QUI RELATIONES COLLIGANT ("Corona-Blog"). USQUE NUNC HOC SCELUS PLEROSQUE ABDERITAS LATET FUGIT FALLIT PRAETERIT... SED VENIET TEMPUS QUO VERUM SCANDALON FIAT... HODIE COLLOCUTUS SUM CUM COLLEGA BONO ET HUMANO, QUI HERI VACCINATUS EST VACCINO ASTRAZENECAVO.. MISERET ME EIUS. SCILICET SPEREM EUM SALVUM EVASURUM ESSE... ADHUC BENE SE HABET... <https://corona-blog.net/tote-im-zusammenhang-mit-der-covid-impfung/>  
VALE SEMPER, LEO.

**LEO NAEVIO S.**

Cum socrum socrumque visitaturus sis, care Naevi, severe mihi videris esse monendus: Ne umquam obliviscaris nostra aetate multos

homines esse prasinorussatos, qui non patiantur cogitationes dextre-extremas politiceque incorrectas.

Quandocumque cum socero et socru loqueris, noli loqui de rebus litigiosis, quales sunt: virus coronae, mutatio climatis ab homine effecta, immigratio, genderismus, fides islamica, politica rectitudo. In appendice invenies vigilem publicum officiosum.

In Festum Paschale tibi exopto optima quaeque: sint tibi dies recreabiles et salubres, sint tibi occasiunculae philosophandi fructuosissimae!

**MEDULLITUS TE SALUTAT**

**NICOLAUS LEO LATINUS**

**Nicolaus Naevio s.**

En, care Naevi, habes opusculum Leoninum Paschale. Insunt etiam nonnullae epistulae tui. Utinam dies Paschales apud socrum sacerumque degas recreabiliter (sine ulla laesione politicae rectitudinis)! Vale pancratice.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

Am 07.04.2021 um 09:44

**Naevius Nicolao s.**

care amice, gratias tibi ago pro hac epistula *Rabbi Weissman*. Videtur esse vir qui audet sapere, sed dicit nonullas res dupliciter, etiam tripliciter - non possum videre differentiam substantivam in partibus 13, 20, 23; tu potesne? - et pro certo habet multas res quas examinare non possum. Nescio utrum verum an falsum sit quod dicit de Gates, de directoribus Pfizer. Dicit eos adhuc non accepisse vaccinationem, voluntarie abrenuntiavisse.

Quid sentis?

Medullitus te salutat

VN

Am 09.04.2021 um 13:57

**Naevius Nicolao s.,**

care amice, quid sentis de hoc?

<https://www.merkur.de/welt/corona-langzeitfolgen-long-covid-symptome-muedigkeit-konzentration-erschoepfung-90316408.html>

Paulum scimus de futuris effectibus vaccinationis novi generis (RNA/DNA) - sed etiam paulum scire videmur de effectibus morbi futuris (Langzeitwirkungen). Scisne disquisitiones bonas de ea re?

Medullitus te salutat

VN

Am 09.04.2021 um 22:21 schrieb KIGr:

**Nicolaus Naevio s.**

Bone Naevi, quis talia symptomata, qualia esse morbi covidiani "longi" typica dicuntur (v. infra), nondum passus est? Omni perfrectiuncula similes sensus efficiuntur. Ridiculum! Nullum symptoma coronae typicum usque nunc inventum est, quo idem morbus distinguitur a simplici perfrectiuncula. Hic morbus est omnium hominum hypochondricorum refugium ideale. Num revera morbus covidianus prolongari possit in perpetuum - quis hoc scit? Corona (aut potius ea influentia, quae proba maxime dubia probatur esse morbus coronae) ex uno tantum anno novimus. Unde scimus, num revera possit perpetuari? Ceterum corona est morbus viarum respiratoriarum. Tales morbi solent per certa tantum tempora breviora fieri. "Testes coronae" si rogantur, ut explicent pericula vaccinationis coronariae tardiora, statim affirmant ea minora esse, quam ut explicari debeant. Vale pancratice. N.

<https://www.internisten-im-netz.de/aktuelle-meldungen/aktuell/was-betroffene-mit-long-covid-tun-koennen.html>

"Die häufigsten Long-Covid-Symptome seien **anhaltende Müdigkeit und eine geringere Belastbarkeit, Schmerzen in Muskeln und Gelenken, Riech- und Geschmacksstörungen sowie Aufmerksamkeits- und Konzentrationsstörungen.**"

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Care amice,

gratias tibi ago; profecto, symptoma typicum deesse videtur. Haec modo inveni:

[https://www.medica.de/de/News/Archiv/Grippe\\_mit\\_Langzeitfolgen](https://www.medica.de/de/News/Archiv/Grippe_mit_Langzeitfolgen)

<https://www.lungenaerzte-im-netz.de/krankheiten/grippe/komplikationen/>

<https://www.helios-gesundheit.de/magazin/corona/news/corona-versus-grippe-was-ist-gefaehrlicher/>

Vale bene V

## **NAEVIUS NICOLAO S.**

Verba Dreier modo raptim legi. Videtur scribere de theoria cognitionis - estne (novum) verbum Latinum? Epistemologia?

In dubio pono utrum utile sit disputare de illis rebus politicis terminis philosophiae necne - sed, profecto, nescio.

Vale bene

VN

**Am 13.04.2021 um 16:59 schrieb KlGr:**

Mi care Naevi,

videmur interire stupiditate prasino-russata.

Hodie vice-director mihi dixit ex proxima septimana omnibus magistris omnibusque discipulis bis in septimana probam faciendam esse coronariam - quam inutilem et stupidam esse nos ambo bene scimus - sed hoc nescit iste banausus. Qui praescripsit mihi, ut ipse discerem (collegâ docente) probarum instructionem et custodiam. Insania et vesanitas! Per tres menses meos finales num istas gerras patiar? Tales banausi etiam in Imperio Tertio et in Germanica Democratica Re Publica et in Unione Sovietica optime functi sunt! Postea istos banausos non paenituit facinorum suorum: nihil fecerant nisi mandata erant exsecuti. Quid consequitur ex proba coronaria invalida? Resultata falso-positiva. Quid consequitur ex istis resultatis? Quarantaenae, quibus discipuli et magistri eorumque affines et familiares et collegae prohibentur ab opere faciendo et vita cottidiana et humana agenda. Homines insulantur et destruuntur institutio scholaris et societas humana et familiaritas et amicitia et amor et caritas et - humanitas ipsissima!

D. 14. m.Apr. a.2021 h.00:39 scripsit SPQR:

**Nicolaus Naevio s.**

Modo tibi misi EL 235. Inest thema a furoribus nostrae aetatis remotum; tamen spero idem tibi non fore iniucundum. Ecce modo accepi responsum illius Jochen Dreier lectoris critici. Si vacabis, scribas mihi, quid tibi in buccam venerit. Haec raptim, mox certe plura. Nunc dormiendumst. Vale. N.

**Naevius Nicolao s.,**

care amice, gratias tibi ago, thema remotum est, tamen - vel propterea - mihi valde iucundum videtur. Video te multas res scire de Iosepho

Rizal heroe Insularum Philippinarum nationali. De eo adhuc nihil audiebam, nihil legebam, sed nunc cognovi eum fuisse virum valde amantem patriae.

Verba *Dreieriana* modo raptim legi. Videtur scribere de theoria cognitionis - estne (novum) verbum Latinum? Epistemologia?

In dubio pono utrum utile sit disputare de illis rebus politicis terminis philosophiae necne - sed, profecto, nescio.

Vale bene VN

### **NICOLAUS RADULFO SAL.PL.**

O Honorabilis Domine Eques Radulfe, magnam admirationem mihi movisti insigni heraldico misso, quod ornatum est verbis Horatianis. Quod insigne, si permiseris, publicabo proxima in Epistula Leonina eidemque addam brevem descriptionem honorabilis ordinis tui equestris Helveticop-Philippiani. Vale semper, vir tanta nobilitate praedite!

Leo Latinus

### **RADULFUS EQUES RIZALIANUS**

**Care Claudi,**

gratus sum te mihi originem verborum ordinis nostri indicavisse. Libenter publicationem tibi permitto. Cum praeses rei publicae nostrae titulum publiciter monstrare mihi permisit, nunc ita est signum meum.

Medullitus te salutat

**Radulfus Eques**

d.Saturni, 17. m.Apr. 2021 h.13:35

### **Nicolaus Radulfo Equiti Rizaliano sal.dic.pl.**

Ut vales, care amice? Quid nunc agis? Iamne perrexiisti studere sermoni sanscrito discendo? Heri in quodam situ interretiali inveni simplicem methodum litteras devanagaricas scribendi:

[https://www.lexilogos.com/keyboard/sanskrit\\_devanagari.htm](https://www.lexilogos.com/keyboard/sanskrit_devanagari.htm)

Placetne? Visne tu quoque hac methodo uti ad textus sanscriticos scribendos? An iam pridem invenisti aliam methodum, quae tibi melius placet? Iamne legisti Epistulam Leoninam 235? Quid cogitas de Iosepho Rizalio? Nonne est Stoicus Philippinus?

Vale pancratice, mi care Radulfe. Medullitus te salutat Nicolaus.

**Radulfus Nicolao s.**

Care amice,

laetissima anima recepi vestram epistulam leoninam. Consentio eum stoicum fuisse. Repetitio lectionum linguae sanscritae non bene progreditur, quia multos alios labores finire debui. Habueram quattuordecem dies liberos, sed solum duo dies sine labore erant.

Si tu vis, visita me in Castello ... die Veneris proximo decima hora (16:00 Uhr)? Valde gaudebo.

M.d.t.s. Radulfus, ER

**Nicolaus Radulfo suo optimo sal.pl.**

Gratias plurimas, care amice, pro invitatione. Die Veneris p.m. usque ad horam tertiam minutam vicesimam (15.30 h) habenda mihi erit institutio interretialis, quam habere soleo e schola. Adhuc nescio, quam celeriter accessurus sim castellum tuum (fortasse vehar laophoro (*Bus*)). **Licetne advenire hora quarta cum dimidia (16.30 h)?** Scribe mihi, utrum haec quoque hora grata tibi sit necne. **Exspecto responsum tuum. Gratias in antecessum.**

**Medullitus Nicolaus.**

**यत्र धर्मस्तत्र जयः**

**UBI ORDO IBI VICTORIA.**

**D.18. m.Apr. a.2021 h.07:11 scripsit Radulfus Eques Rizalianus**

Care Nicolae, horae quarta aut quinta sint possibles. Fac tuum iter commode, vespera plenum temporis habebo.

**Nicolaus Radulfo s.**

Care Radulfe, gratias plurimas. Operam dabo, ut veniam recto tempore. Utinam bonus tibi sit dies Dominicus et septimana iucunda fructuosaque. Vale semper, medullitus te salutat Nicolaus.

Em 15 de abr. de 2021, à(s) 18:27, SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)> escreveu:

**LEO LATINUS URBANO FERRARIO BRASILIANO**

**SAL.PL.DIC.**

**s.v.b.e.e.v.**

Iam diu, care sodalis, nihil a te accepi. Quomodo te habes? Esne quarantaena inclusus an libertate ambulandi frueris - sicut Texani et Floridani et Sueti? Nonne Bolsonaro Praeses vester critice cogitat de fraude coronaria? Quid de opusculis tui Latinis?

Quomodo tibi placent argumenta Leo Latini? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)?

Scribas mihi, care vir docte Brasiliiane, quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

### **Urbanus Ferrarius Leoni Latino salutem.**

Ut alias spero ut hæ litteræ, quas tibi mitto, salvum et in columem te inveniant. Quia multa quæsisti, per partes respondebo ut res semper claræ appareant.

1. Bene valeo. Sed hoc ipso anno, bis morbo covidiano captus sum: primum mense februario, deinde mense Aprili. In utraque occasione febriculam passus sum et muscularibus doloribus laboravi. Quæ signa me fecerunt morbi suspectum. Ante tamen quam morbus confirmaretur probatione positiva, præcepta medica secutus, illo medicatus sum remedio, quod pueri sumunt ad pediculos debellandos lumbricosque expellendos, et cuius nomen est Ivermectinum. Item in utraque occasione, sumpto medicamento, post biduum febris omnino evanuit, cessarunt musculares dolores. Cum probatio positiva data est, ipse iam sanatus eram. Quantum potero, semper servabo mecum saltem unam medicamenti capsellam. Nam, si anno superiori prope mensem Iunium, ut ipsi diurnarii blaterabant, fere triginta viri covidiani variationes iam vagabantur per orbem, quot alias non inveniemus modo?

Experiendo didici quantum valeat medicina tempestiva. Mihi neque nosocomio, neque lecto, neque tubis, neque oxygenio, neque respiratro fuit opus. Remedium, quo usus sum, parvo pretio emi potest: quatuordecim tantum Regaliorum, qui tria circiter Americana Dolaria valent. Sed periti, qui apparent in televisione, improbant medicamentum, quia “non est scientifice probatum”. Quidam dixit Ivermectinum esse exterminandum. Qualis est ista “scientia”, quæ non admittit quæstiones? Qualis est ista “scientia” quæ experimentales demonstrationes non admittit? Ipse respondebo: hæc scientia, quam sine ratione extollunt, non est scientia veri nominis, sed merum

scientiæ simulacrum. Illi “scientistæ” et “periti televisifici” sunt veteratores avari.

2. Bolsonarus, ut scripsisti, et quarantenæ generali et aliis abusibus adversatur. Sed ipse parum potest per se. Supremum Tribunale, iam mense Februario anni superioris, ab eo potestates, quibus posset pandemiæ accurrere, abstulit, easque transtulit ad prætores et præfectos. Illud tantum relictum est Bolsonaro, ut pecuniam et alia præsidia mitteret. Præfectus Districtus Fœderalis, exempli gratia, tantam pecuniam recepit, quantam vix mente numerare possim. Recepit, ut ita dicam, ingentissimum pecuniarum flumen. Licet tam magna pecunia tradita sit, desunt tamen lecti in nosocomiis, desunt respiratra, desunt cetera multa. Idem præfectus, Supremo Tribunali innixus et adiutus a diurnariis, aliquando quarantenam aliasque prohibitiones insanas imponit. Nemo tamen scit quem finem ipse dederit pecuniæ receptæ. Nescio cur præfectus iste non sit in carcere. Sed quod mirum est, non solum non est in carcere, verum etiam Districtui Fœderali præficitur!

3. Epistulas Leoninas rite recepi. Omnia argumenta mihi placuerunt. Non possum non laudare audaciam tuam, per quam ostendis quæstiones de pandemia putativa quas scientia putativa non admittit. Referam tibi duos casus, qui recenter evenerunt. Agnaldus Timotheus, cantor præclarus, octoginta quattuor annos natus, mortuus est die tertio mensis Aprilis. Hic post receptas duas doses vaccini quod appellatur Coronavac, infectus est viro covidiano. Deinde, sic ægrotavit, ut moreretur. Stenius Garcia, actor etiam præclarus, qui hoc mense Aprili undenonaginta ætatis annos implebit, triginta diebus post receptam alteram dosim ipsius Coronavac, viro petitus est. Non obiit, sed ægrotavit. Ut videtur, neutri eorum vaccinum suscitavit anticorpora. Sive duo casus quos retuli, sive tot alii casus qui fiunt per totam Brasiliam, satisne non sunt ad saltem dubitandum de huius vaccini efficacitate? Præterea, si vaccini substantia, quæ illis corporibus injecta est, non habet effectus quos speramus, quos alios effectus potest habere quos non suspicamur? De hac re scribam postea.

Iosephus Rizalius, quem non noveram, mihi videtur fuisse vir summo ingenio summaque pietate erga patriam. Utinam plures oriantur ut ille!

Oriantur nempe viri et feminæ, qui amore patriæ resistant contra globalismum cæcum qui aufert libertates nostras.

4. Habeo multa scribenda. Deest autem tempus. Iam cœpi scribere aliud parvum cogitatum, quod ostendas in Epistula Leonina. Cum investigationem perfecerim, statim mittam ad te.

Vale semper.

Dedi Brasiliapoli, die XVI Calendas Maias, anno MMXXI.

Urbanus

**Leo Latinus Urbano Brasiliano sal.pl.dic.**

O Urbane, summas gratias tibi ago, pro hoc responso prompto argumentisque gravissimis abundantissimo!

Epistulam tuam legens multa didici de rebus et coronariis et Brasilianis.

Mirabiliter narras. Statim publicabo litteras tuas et suspenso animo exspecto symbolas tuas futuras.

Pancratice vale, mi care Urbane, et perge nobis favere! Medullitus te salutat Leo Latinus.

On Thu, Apr 15, 2021 at 11:24 PM SPQR <[SPQR@leolatinus.com](mailto:SPQR@leolatinus.com)> wrote:

**LEO LATINUS IOHANNI KNIJFF SAL.PL.DIC.**

s.v.b.e.e.v.

Iam diu, care sodalis, nihil a te accepi. Quomodo te habes? Esne quarantaena inclusus an libertate ambulandi frueris - sicut Texani et Floridani et Sueti? Quid de versionibus Maupassantianis? Quomodo tibi placent argumenta Leo Latini? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)? Scribas mihi, care Iohannes Batave Americanensis, quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS

Am 16.04.2021 um 18:30 schrieb Jan-Piet Knijff:

**Johannes Leoni s.p.d.**

Caris pro litteris electronicis plurimas habe gratias, Leo mi optime. Me summi Iovis immo omnium certe deorum gratia minime quarantaena inclusum scito; tu autem nescire videris ante nonnullos iam annos in Europam, immo in Germaniam, immo in civitatem illam liberam Bavariae – vel caput vel fortasse potius umbilicus totius orbis terrarum – lares me transtulisse meos.

Hoc ergo tempore linguam Latinam doceo Monaci, vel potius Suapingae, in schola Waldorpiana vel Steineriana in illo urbis vico sita. Haud sane nescio magistris severioribus tales scholas non nimium esse cordi; equidem libertate, humanitate, situ denique in media urbe – haud procul ab universitate studiorum absque horto Anglo qui vocatur – libentissime fruor.

Ceterum certe in animo est aliam fabellam Maupassantianam in Latinum convertere sermonem; sed et docendi muneribus (sunt enim mihi et nonnulli variarum linguarum discipuli privati) et arte musica (nam et organicinis officio in templo fungor) nimium occupatus fui quam ut tantam rem ingrederer. Libenter autem novam tibi polliceor interpretationem.

Haec hactenus fortasse, mi bone Leo; mox – si tuis ipsius verbis uti liceat – certe plura. His miris temporibus perbelle valeas cura.

### **Leo Iohanni suo s.**

Summas gratias ago pro responso prompto! Babae, stupefactus sum: Credideram te in regionibus Americanis adhuc versari - et nunc scribis te iam pridem in Bavariâ munere fungi Valdorpiano! Verumne Bavaria tibi videtur esse umbilicus mundi? Vereor ut verê. Sive eadem est umbilicus sive non - Bavaria potius a rôge regi imperioso quam gubernari a gubernatione his diebus videtur. Sed ubinam gentium res nunc fiunt sanê atque moderatê? Difficilis inventu est natio, quae sanê regatur. Procul absunt ultima Thule et felix Arcadia et illa Utopia. Ceterum equidem haud male iudico de scholis Valdorpianis; Rudolfi Steineri ideae nonnullae mihi placent. Pro certo habeo artem musicam et figurativam necnon talia opera practica qualis est horticultura valde utiles et fructuosas esse ad animam discipulorum colendam et fovendam et nutriendam. Gratulor tibi, quod modulari scis instrumento omnium maximê mirabili! Organoedus es. Uxor mea in ecclesia organo modulatur; libentissimê sanê audio sonos huius instrumenti regalis. Ergo, care Iohannes, istac in tempestate temporum perge helluari arte tuâ musicâ et vive feliciter! Nam horas non numeramus nisi serenas. Maupassantianam tui versionem exspecto animo suspenso. Vale pancraticê et perge mihi favere. Medullitus te salutat Leo Latinus.

**LEO LATINUS THEODERICO STRATMANN SAL.PL.DIC.**

s.v.b.e.e.v.

Iam diu, care amice Latinitatis, nihil a te accepi. Quomodo te habes?

Quid cogitas de novissimâ quarantaenâ, quâ includimur cancellariâ iubente? Nonne melius est libertate ambulandi frui - sicut fruuntur Texani et Floridani et Sueti? Quid de studiis tuis Latinissimis? Memini tibi quaedam argumenta Leonis Latinae iam placuisse. Quomodo tibi placent argumenta, quae Leo Latinus nunc tractat? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)? Visne aliquid Latine scriptum in lucem edere? Scribas mihi, care Theoderice, quidquid tibi in buccam venerit.

Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS

D.17.m.Apr.a.2021 h.15:29 scripsit [stratmann-berlin@t-online.de](mailto:stratmann-berlin@t-online.de):

**Sehr geehrter, lieber Herr Nikolaus Groß,**

ich danke Ihnen ein weiteres Mal für die regelmäßigen hochinteressanten Beiträge. Leider läuft mir der Sermo Latinus nicht so glatt über Zunge oder Tastatur. Darum antworte ich lieber gleich auf Deutsch.

Was **CORONA** angeht, habe ich keine feste Position. Ich weiß hoch genau, welche Strategie ursprünglich Epidemiologe Lauterbach unterbreitete und weiß nicht, ob er nicht damals damit richtig lag. Doch daran will er natürlich nicht mehr erinnert werden. Mich ärgert nur die Slalomfahrerei unserer Politiker und dass sie die jeweils neueste Verlautbarung als alleinseligmachend verkaufen wollen und einfach ausblenden, dass die Kollateralschäden ihrer Coronapolitik (große Umbrüche wurden meist durch Geld-, Steuer- und Verschuldungsfragen ausgelöst) schlimmere Folgen haben könnten als Corona. Der frühere Bundespräsident warf Politikern vor: Sie sind machtversessen und machtvergessen. Wer heute dasselbe mit eigenen Worten sagt, wird oft schon als Gefährder der Demokratie eingestuft. Und aus der Bibel wird kontextwidrig herausgebrochen „Fürchtet euch nicht!“ und von der Kanzel herab gepredigt; und eine Woche später, wenn es ums Klima geht, heißt es „Fürchtet euch!“ Das mache ich freiwillig, dafür brauche ich keine Predigt.

Ihren Youtube-Beitrag von **Gunnar Kaiser** hatte ich an einen Medizinprofessor nach Canada weitergeleitet und es entspann sich ein Maildisput. Im Grundsatz kann ich – da ich keine feste Position habe - Gunnar Kaisers Position nicht unterschreiben. Aber er trifft hervorragend die Widersprüchlichkeit maßgeblicher Politiker und

sogenannter Experten (hü – hot – üh – toh, ...). Den Text der YouTube-Beitrags kann man ja in Gunnar Kaisers Rundbrief nachlesen. Eventuell könnte man den ins Lateinische übersetzen?

Wie wir u.a. über die Sprache umerzogen werden sollen, das finde ich ganz schlimm. Ebenfalls, wie oft man diejenigen dämonisiert, die nicht spuren, wie es Sprach- und Gedankenpolizisten wollen. Die Klimafrage nehme ich jedoch schon seit Anfang der 80er Jahre ernst – aus klima-, sozial-, gesundheits- und vor allem entwicklungspolitischen Gründen. Hier ärgert es mich nur, wie beispielsweise unser früherer evangelischer Bischof Dröge in Berlin-Brandenburg argumentierte: Da Jesus den Jüngern am Sabbat das Ährenraufen erlaubte, so sei es auch richtig, dass Schüler freitags an den Schulstreiks für FFF teilnehmen. Theologen der evangelischen Kirche verkommen großenteils wieder einmal zu ZEITGEISTlichen. Und an unserem Gymnasium (ca. 200 m von uns entfernt) zeigte auch Bundeskanzlerin Merkel mehr als Verständnis für die Protestler während der Unterrichtszeit. Große Sorge habe ich wegen **Markus Söder**, er wird sich wohl noch mehr als Demagoge und Hetzer entpuppen. Momentan schiebt man auf Umfrageergebnisse und vergisst: Als Martin Schulz zum Kanzlerkandidaten gemacht wurde, schnellten damals die Umfragewerte für die SPD nach oben. Der Spiegel brachte eine Karikatur: Martin Schulz geht wie Jesus über den See. Markus Söder mit seiner Statur könnte so durch den See (Genezareth) gehen. Das ändert aber nichts daran, dass es unklug ist, auf Schäume von Meinungsumfragen Träume aufzubauen. Otto der Große würde dem Söder die Flügel stutzen, indem er die Bistümer wieder zu FÜRST-Bistümern machen würde, und die Staufen, indem sie wieder freie Reichsstädte einrichten würden. Dann wäre der Freistaat Bayern ein Schweizer Käse, mehr Löcher als Käse. Momentan konzentriert sich meine Aufmerksamkeit auf meine Gesundheit und das Ergebnis, wenn ich demnächst aus der Röhre rauskomme. Meinen wöchentlichen lateinischen Lektürekurs mit Hobbylateinern mache ich derzeit ONLINE. Damit sichergestellt ist, dass wir variieren und ich mich zu neuen Themen zwinge (also nicht immer wieder um alte Themen drehe), knüpfe ich immer am Tagesdatum an (Geburtstag, Todestag,

Aktionstag, Gedenktag, usw. ). Im Schnitt kann ich auswählen zwischen 20 Themen und wähle dann das, was aktuell eine gewisse Brisanz hat.

**JOSE RIZAL** kannte ich noch nicht. Ich habe Ihren Text (nochmals herzlichen Dank!) für unseren Lektürekurs an seinem Geburtstag eingeordnet. Sollte ich mal zu einem Thema etwas finden, was für den Leolatinus interessant sein könnte, denke ich hoffentlich auch an Sie. Momentan gedenkt man Luthers Auftritt in Worms vor dem Reichstag. Vor vielen, vielen Jahren hatten wir im Lektürekurs dann Luthers Rede in der lateinischen Version übersetzt. (M.W. gab es die Rede in lateinischer und deutscher Version.) Ich nehme an, dass sie Luthers lateinische Rede von 1521 haben. Ansonsten denke ich, dass ich sie in meinem Computer noch finden würde, falls ich sie Ihnen zusenden sollte. Vor vielen Jahren hatte radio berlin brandenburg (rbb) mal wohl an einem Rosenmontag morgens ohne jegliche Ankündigung und Erklärung die Nachrichten in lateinischer Version ablaufen lassen. (Nach meiner Erinnerung war für den lateinischen Text Professor Stroh zuständig.) Das könnten Sie doch auch mal versuchen beim Bayerischen Rundfunk oder DLF. Leider habe ich meine Themen von 11 ½ Jahren lateinischer Lektürekurs nicht sinnvoll sortiert. Sonst könnte ich leichter nachsehen, ob irgendetwas sich aktuell für den Leolatinus eignet. Nach dem BVerfG-Urteil zur Suizid-Beihilfe hatten wir einen Text von Seneca einerseits und andererseits Cicero (angelehnt an Platon). Da wir in unserem Lektürekurs alte Leute sind, betraf es uns ganz persönlich. Wenn demnächst das entsprechende Bundestagsgesetz zur Suizidbeihilfe diskutiert wird, könnte man Senecas Position auch im SPQR nochmals präsentieren.

Mit freundlichen Grüßen

**Dirk Stratmann**

Le samedi 17 avril 2021 à 10:49:49 UTC+2, SPQR [spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com) a écrit :

## **LEO LATINUS DANIELI BLANCHARD SAL.PL.DIC.**

s.v.b.e.e.v.

Iam diu, care amice Latinitatis, nihil a te accepi. Quomodo te habes? Esne quarantaena inclusus an libertate ambulandi frueris - sicut Texani et Floridani et Sueti? Quid de studiis tuis Latinissimis? Iamne novum libellum scripsisti? Exstatne adhuc circulus Parisinus Latine colloquentium? Quomodo tibi placent argumenta, quae Leo Latinus nunc tractat? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)? Scribas mihi, care Daniel, quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

D.18. m.Apr.a.2021 h.09:46 scripsit [lutetiensis@yahoo.fr](mailto:lutetiensis@yahoo.fr):

### **Daniel Nicolao suo sive Leoni latino egregio sal.**

Acceptis litteris tuis gratias tibi ago, qui mei immemor non es. Opto te hoc infausto tempore nec morbo laedi, nec aevi infelicitate tristari. Missam Leonis epistulam libenter lego: quibus enim semper delector. Confiteor e. g. me antea numquam de Josepho Rizal audivisse, sed libenter doceor. Nescio tamen quomodo possis, officio in universitate non neglecto, unaquaque hebdomada epistulam longam scribere, novos libros discosque parare. Cum discipulos doceo, vix ulla mihi vis superest, ut quicquam aliis faciam. Lego, modos compono, et narrationes pro Melissa bis in anno scribo. Et libros legendos acervo, qui bibliomania labore. Tu vero latinitatis Hercules es, pelle Leonina tectus! Lutetiae clauduntur popinae musea et theatra; licet tamn sine restrictione ante ignitegii horam ambulare. Saepe ergo bibliopolas visito, et hortos, quibus urbs nostra abundat. Meliora tempora latine legendo canendoque exspecto.

Opto Academiam nostram Romae hoc anno convenire posse: sic velit Deus! Vale pancratice et tu, et nos litteris tuis delectare docereque perge.

## **NICOLAUS DANIELI MUSICO PARISINO SAL.PL.**

Gratias tibi ago plurimas, care sodalis, pro responso prompto. Gaudeo te artem tuam musicam adversus difficultates pandemicas adhuc docere posse, modos musicos componere, narrationes pro Melissa scribere necnon libros legere. Mihi profecto Latinitas est quodammmodo medela panacea; litteris Latinis legendis, rebus Latine describendis, commercio epistularum Latino habendo et solacium accipio et corroboramentum,

quo fortius patiar insaniam huius tempestatis temporum. Praeter studium Latinitatis tecum communico, care Daniel, cupiditatem libros legendi. Helluor enim lectione grandium illarum fabularum romanicarum admirabilium, quae scriptae sunt a *Tolstoio*, *Balzacio*, *Hugone*, *Melville*, *Fielding* et similibus. His septimanis incumbo fabulae *Henrici Jones* legendae, quae inscribitur: "*Tom Jones*". Novistine eam? Magni aestimo mores hominum descriptiones, in quibus Henricus nobis affirmat credibiliter se non heroes aut sanctos describere, sed veros homines, quales esse in natura rerum ipse saepius observaverit. Haec hactenus, mi amice musice, utinam Musae pergent tibi favere melodias componenti atque libros perlustranti. Vale pancratice, optime Daniel. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

### **Nicolao suo Daniel s p d**

Temporum insaniam timeo perennem esse: numquam homines sapere vidi! Ut mones, in studio et Musis est refugium. Multum lego, et ignota opera latina antiquasque editiones quaerito. Raro nunc linguis vernacularibus lego. Condidi enim mihi bibliothecam latinam, cum latinitatis fanaticus sectator factus sim. Fabulas quas nominasti numquam legi: fortasse faciam, cum erit versio latina. Delectatus sum e g versione tua Fragrantiae... Nuper Anthologiam graecam latine versam legi (a. 1570 impressam) vel carmen Joannis Barrington Ward de hortis (1913). Lectiones apud bibliopolas venor, et deploro fabulas romanicas latinas fere nullas aetate moderna scriptas esse.

Vale multum.

Il 17/04/2021 10:36, SPQR ha scritto:

**LEO LATINUS MARCO CRISTINO SAL.PL.DIC.**

s.v.b.e.e.v.

Iam ex aeonibus, care sodalis, nihil a te accepi. Quomodo te habes? Esne quarantaena inclusus an libertate ambulandi frueris - sicut Texani et Floridani et Sueti? Quid de studiis tuis Latinissimis? Esne interim sodalis Academiae Latinitati fovendae? Iamne multi philologi recensuerunt dissertationem tuam? Quomodo tibi placent argumenta Leo Latini? Iamne legisti de Iosepho Rizal, heroe Philippinarum nationali (EL 235)? Scribas mihi, care Marce, quidquid tibi in buccam venerit. Vale pancratice. Medullitus te salutat LEO LATINUS.

d.Solis, 18. m.Apr a.2021 h.17:44:18

### **Marcus Cristini Leoni Latino s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago, care Nicolae, pro epistula tua. Silentium meum longiusculum excusa, quaeso, sed multae erant causae, quae me prohibuerunt tibi aliquid scribere: usque ad m. Maium anni proximi praeteriti totus incubui in dissertatione doctorali scribenda, dein munus quoddam academicum fuit inveniendum, symbolae (laboriosae profecto, utrum doctae necne - fateor - nescio!) scribendae et studia nonnulla perficienda. Fortuna favente nunc bona fruor valetudine, sed mihi libertas ambulandi est exigua, cum in Langobardia extra fines urbis vel pagi cuiusvis egredi nemini liceat. Domi manere profecto est omnibus gratum, qui commentariolos exarare velint, decursu autem temporis sacra quaedam oritur fames iterum longe lateque peregrinandi non solum animo sed etiam corpore...

Quod ad Latinitatem attinet, nuper in manus venit brevis textus Latinus a iuveni J.R.R. Tolkien scriptus, quem iterum typis tradere cum adnotationibus nonnullis velim, et insuper symbolam scribo de rationibus inter primam narrationem Tolkienianam, quae *Casus Gondoliniae* (Anglice *The Fall of Gondolin*) inscribitur, et *Aeneidos* librum secundum, quem mea sententia Tolkien imitatus est cum ad Medium illam Terram animum a. 1916 exeunte primum verteret.

Sodalis designatus Academiae Latinitati Fovendae adhuc sum et suspenso animo coetus annuos m. Octobris expecto, ut oratiunculam meam inauguralem habeam.

Epistulas Leoninas semper accipio et, si subsiciva mihi sunt tempora, libenter lego. Facinora Iosephi Rizal scitu sunt dignissima: dum paginas de eo evolvebam, mihi venerunt in mentem nonnulli Itali, qui pro libertate nationis Italicae saeculo undevigesimo haud dissimiliter certaverunt.

Ex animo tibi gratulor pro laboribus tuis Leoninis, immo Herculeis, ad Orbem Pictum Hexaglottum in Latinum sermonem vertendum adque testimonia et interpretamenta indicanda. Babae, quam multa vocabula docte ac diserte iam interpretatus es! Profecto opus tuum subsidio erit omnibus Latinitatis fautoribus, qui cotidie plus minusque feliciter conantur notum callida verbum reddere iunctura novum.

Cura, ut optime valeas.

### **Leo Latinus Marco Cristini sal.pl.dic.**

Tranquillatus, mi care Marce, animus meus est, quod nunc tandem me certiores fecisti te bene aut - pandemiae putative causa - saltim aliquatenus mediocriter valere. Valde desideraveram nuntios tuos symbolasque Latinissimas. Maxime enim necessarium est Latinitatem coli a iuvenibus ingeniosis, qualis tu es, ne eadem quam vivam dicere solemus, prorsus intermoriatur. Valde gaudeo de novis tuis ideis litteras Latinas scribendi teque adhortor, ne umquam desinas felici ingenio tuo usus bonas litteras augere atque fovere. Utinam ne furore coronae publico ab agendo prohibitus nimium contristeris! Tenebris tyrannidis, hysteriae, ignorantiae superatis denuo nobis omnibus arridebit sol lucidissimus.

Oratiunculam tuam inaugurelam nonne etiam in conferentia interretiali (ZOOM) habere poteris? Iamne particeps fuisti talium conferentiarum? Iam multae acroases emissae sunt doctae et delectabiles.

Orbis Pictus Hexaglottus paulatim et gradatim perficitur. Nonne vis indicem aliquem inspicere? Pro omni correctura, omni supplemento gratias tibi ago quam maximas. Denique tibi exopto, ut curriculum honorum percurras successu cum optimo. Haec raptim, si volueris, mox certe plura. **Medullitus te salutat Leo Latinus.**

### **Marcus Leoni Latino s.p.d.**

gratias tibi ago pro verbis benignis! Puto oratiunculam inaugurelam - si licet - facie ad faciem in coetu generali habendam esse, libenter usque ad m. Octobrem expectabo; erit occasio urbis Romae denuo lustrandae. Si vis, indicem aliquem Orbis Picti inspicere possum: non dubito, quin de verbis Latinis disceptare parum valeam, sed fortasse interpretationes Italicae minimis indigent correctionibus.

De lingua Latina colenda cum te consentio: necesse est iterum symbolas quoque academicas Latine conficere, ut olim erat mos usitatus. Arbitror Anglum vel Germanum studiosum historiae Romanae vel philologiae classicae multo facilius symbolam Latinam quam Italicam vel Francogallicam legere, si sermonem Italicum vel Francogallicum minime callet, ut hodie - pro dolor - saepe accidit. Lingua contra Latina ei procul dubio est nota (hoc saltem in votis...). At commentarii periodici academicci multi hodie textus tantum Anglico sermone scriptos accipiunt. Ego Anglice quoque symbolas exaro, sed

multo iucundius est eas Latine pangere, si ad res cum Latina lingua quoquo modo iunctas pertinent (tibi libenter commentariolum mitto nuper typis traditum).

**Optime vale.**

D.18. m.Apr.a.2021 h.17:45 scripsit [GMSchaefer@t-online.de](mailto:GMSchaefer@t-online.de):

**Günter Schäfer Germanus magister quondam Latinitatis**

Hallo, lieber Herr Dr. Groß,


herzlichen Dank für die schnelle Zusendung der beiden Epistulae. Seit August 2013 (Nr.53) sammle ich Ihre Briefe und es wäre schade gewesen, wenn meine Sammlung eine Lücke bekommen hätte. Kurze Abschnitte aus Ihren Texten von ca. 10 der 12 Zeilen waren vor den Ferien immer wieder ein beliebter Aufhänger, um in den Klassenstufen 11-13 kurze, abwechslungsreiche Vokabelarbeit anzubieten oder über "den Sinn und Unsinn" von Lateinunterricht oder über die "tote Sprache" zu diskutieren (Ich habe 35 Jahre an einem kath. Mädchengymnasium Deutsch und Latein unterrichtet!) Seit 6 Jahren bin ich nun pensioniert, bin aber immer noch begeisterter Lateiner und genieße es, mich immer wieder mit lat. Texten in eine Stille Ecke zurückzuziehen (=> Das ist bei 7 Enkelkindern zwischen 14 Monaten und 8 Jahren nicht ganz einfach!!!). Sehr gerne lese ich Texte zu aktuellen Tagesthemen (z.B Corona ect.) und Ihre Übersetzungen von literarischen Texten. Leider kann ich mich nicht oft den ganzen Briefen widmen, sondern nur bestimmten Aspekten. Über Ihr Angebot, selber einmal einen lateinischen Text zu schreiben werde ich nachdenken und mich gegebenenfalls bei Ihnen melden. Zu Inhalt und Form kann ich nur sagen weiter so, denn ich finde in jedem Brief spontan einen Text oder eine Textstelle, die mich "anspringt", begeistert und beschäftigt.  
Mit vielen herzlichen Grüßen und besten Wünschen für Ihre Gesundheit **Günter Schäfer.**

# CHIONOLOGIA<sup>1</sup>

## SEU

# HISTORIA NIVIS (II)

<https://de.wikipedia.org/wiki/Schnee>



<sup>1</sup> cfr Johannes Gebhard, **Chionologia, h.e. Nix, aquarum spuma celestium, Philippaea thematis simplicis methodo, face item historicâ, à nonnullis Elisabetani Gymnasii ἐντρόφοις, a.d. XVI. Decembr. MDCLX, horis ab VIII. antemeridianis, contemplanda, praemonstrante Johanne Gebhardo. Vratislaviae a.1660.**

## PARS ALTERA QUAE EST FINALIS

### INDEX ARGUMENTORUM

- **5 Nivicidii intensitas**
- **6 Nivis Liquefactio**
- **7 Nivis generum distributio**
  - **7.1 secundum aetatem**
  - **7.2 secundum umorem**
  - **7.3 secundum colorem**
  - **7.4 secundum densitatem**
  - **7.5 secundum locum et originem**

### **8 Qualitates nivis thermicae**

- **9 Nix quid valeat**
  - **9.1 ad clima et circumiecta**
  - **9.2 ad homines**
- **10 Nivis investigatio**
  - **10.1 Historia nivis investigandae**
  - **10.2 Nivis mensuraciones**
- **11 Securitas nivalis**
- **12 Calamitates nivales**
- **13 Nix quomodo exhibeatur ab artificibus**
- **14 Trivialia**
- **15 Litterae**
- **16 Loci testes**

## 5 De nivicidii intensitate

Intensitas nivicidii duobus modis potest indicari: aut distantiâ videndi aut quantitate praecipitationis. Quae posterior indicari potest altitudine praecipitationis. Id est altitudine columnae aquaticaæ nivis liquefactæ aut augmento altitudinis nivalis medio per centimetra horalia (cm/h).<sup>[14]</sup>

A Ministratō Tempestatis Germanicâ intensitas praecipitationis nivalis sic definitur:<sup>[15]</sup>

- nivicidium leve: altitudo praecipitationis spatio 60 minutarum facta  $< 1,0$  mm, spatio 10 minutarum  $< 0,2$  mm
- nivicidium moderatum: altitudo praecipitationis spatio 60 minutarum facta  $\geq 1,0$  mm bis  $< 5,0$  mm, per 10 minutias  $\geq 0,2$  mm usque ad  $< 0,9$  mm
- nivicidium forte: altitudo praecipitationis spatio 60 minutarum facta  $\geq 5,0$  mm, spatio 10 minutarum  $\geq 0,9$  mm

Praeterea Ministratio Tempestatis Germanica definivit quattuor gradūs periculositatis tempestatis nivalis. E.g. monitio gradus tertii declaratur, si spatio 6 horarum plura quam 10 centimetra nivis cadunt aut plura quam 15 centimetra spatio 12 horarum in regione plana.<sup>[16]</sup>

Altitudo unius milimetri praecipitatorum respondet uni litrae pro metro quadratico. Unum milimetrum praecipitati respondet circiter uni vel duabus centimetris nivis novae.<sup>[17]</sup>

Nivicidia etiam distribuuntur secundum spatium videndi in tres gradūs: gradus primus complectitur spatia videndi, quae sunt maiora quam quattuor chiliometra, gradus secundus ea, quae intersunt uni et quattuor chiliometris, et tertius ea, quae minora sunt quam unum chiliometrum.<sup>[18]</sup>

## 6 Liquefactio nivis

Tegimen nivis deminuitur, si energia adducitur. Hoc fieri potest radiatione (i.e. radiatione sôlis brevium undarum aut radiatione caloris undarum longarum), ductione caloris (si temperaturae aëris sunt supra zeroticum gradum Celsianum) aut pluviâ in nivem incidente, quae est calidior quam gradus Celsianus zeroticus. Celeritas molis nivalis

destruendae pendet non sôlum a quantitate energiae illatae, sed etiam a temperaturâ aëris et umiditate. Destructio nivis eo lentius fit, quo siccor est aer, quia, ut sublimatio efficiatur, i.e. ut aqua directê transgrediatur e solidâ phasi in gasiformem, aliquantum energiae est adhibendum, quâ nix reliqua refrigeratur.

Ratione temperaturae umidae et temperaturae puncti rorificationis distinguuntur tres gradûs nivis destruendae. Temperatura umida est ea temperatura, quae mensuratur in latere umido psychrometri et semper est minor quam temperatura aëris (sed aequalis est ei, si valent centenae partes centesimae umoris). Temperatura puncti rorificationis est ea temperatura, quae si valeret, aer umidus esset vapore aquatico saturatus, et est minor quam temperatura umida. Si temperatura umida est infra zeroticum gradum Celsianum, nix *sublimatur*. Hôc processu nix lentissimê destruitur, nix in eodem manet prorsus sicca. Sublimatio fieri potest in temperaturâ usque ad 7 gradûs Celsianos, sed necesse est umiditas relativa sit infra vicinas partes centesimas. Si temperatura umida maior est quam gradus Celsianus zeroticus, sed temperatura rorificationis etiam inferior est, nix *liquefit*, id est, transgreditur et in phasin gasiformem et in liquidam, Si temperaturae puncti rorificationis sunt supra punctum zeroticum, nix *rorificatur*, id est tantummodo transgreditur in phasin liquidam. Hic processus destruendi fit celerrimê. In mediâ umiditate aëris relativâ quingenarum partium centesimarum (50%) nix sublimatur infra 3,5% (tres – virgula – quinque) gradûs Celsianos, liquefit intra 3,5 et 10 gradûs Celsianos, rorificatur supra 10 gradûs Celsianos.

Si nix liquefit magnâ portione in areâ magnâ effectu fortis irradiationis solaris calidique venti, et si aqua liquefacta pervadit tegimen nivale iam tenue liquefactione calefactum et invadit humum iam aquâ umidatam, oriri possunt inundationes vernales.

## 7 Nivis generum distributio

Nix nonnullis rationibus distribui potest in varia genera:

### 7. 1 Ratione aetatis:



Nix recenter praecipitata appellatur ***nix nova***. Eius crystalli sunt subtiliter ramificatae et instructae denticulis acutis. Mutationes structurae nivalis iacentis appellatur *mutatio nivis* vel *metamorphosis*. Talium metamorphosum qualitas et celeritas pendet ab influxibus externis, velut a temperaturâ.

Distinguitur metamorphosis destructiva a metamorphosi constructivâ, necnon a metamorphosi liquefactoriâ. In metamorphosi destructivâ crystalli temperaturae variationibus et pressione tegiminis nivalis et influxibus circumiecturalibus, velut vento, formas subeunt minus ramificatas, magis rotundatas. Ideo crystalli fiunt solidiores et densiores et appellantur ***nix coactilis*** vel ***nix granorum rotundorum***. In constructivâ autem metamorphosi in stratis profundioribus novae formae maiores crystallorum finguntur, quae aëre multo inclusa parum habent soliditatis.

Et destructiva et constructiva mutatio nivis fit temperaturis subzeroticis per spatium complurium septimanarum.<sup>[19]</sup> Metamorphosi liquefactoriâ temperaturis suprazeroticis gignuntur formae crystallorum rotundae. Si vicissim nix liquefit et aqua superficialis recongelatur, oriri potest fragilis nix glacialis, alioquin nix glacialis compacta, effectu venti etiam nix vento pressa, quâ oriuntur etiam tabulae nivales. Sole fortiter irradiante sublimatione fiunt ***nix paenitentium*** aliaeque formae extraordinariae, quae saepe inveniuntur in montibus altis subtropicis tropicisque.



*Nix vetus* hiemis prioris post annum minimē unum est magnā densitate (quae est densitas 600 chiliogrammorum pro metro cubico) Per spatia temporis longiora e nive vetere denique oriri possunt **moles glaciales** (*Gletscher*).



## 7.2 ratione umiditatis

- *nix pulveracea* est nix sicca, quae etiam pressa non conglutinatur. Cuius densitas est infra sexaginta chiliogramma pro metro quadratico ( $60 \text{ kg/m}^3$ ).
- Si nix cadit per aëra eximië siccum, oriuntur plumae nivales paulum aut vix denticulatae, quibus construuntur strata nivis parum stabilia. Talia sunt in americanis Montibus Saxosis, qui siti sunt inter Mare Pacificum et continentem siccum.



- *Nix umida* si premitur, conglutinatur ideoque perbene apta est ad *globos nivales* et *viros nivales* faciendos. Sed ex hac nive nulla aqua potest exprimi. Quae nix appellatur etiam glutinosa, quia cohaerescit. In Germaniâ Orientali talis nix vocatur etiam ***nix cocta***. Aeronautae strata glaciata, quae constant e nive madidâ et aquâ refrigeratâ, etiam appellant *nivem coctam*.<sup>[20]</sup>



- *Nix madida* pergravis est et valdê madida, conglutinatur et ex eâdem aquâ potest exprimi. Quae in Germaniâ australi ***Schneebatz*** dicitur (*batzig* est ,glutinosê-mollis').
  - Forma nivis specialis est *Sulzschnee* (adiectivum est *sulzig*) ; sic nix madida appellatur praesertim in alpinismo.

Limes nivis umidae est *nix vetula* (*Firn*), quae post breve tempus transgreditur in *Sulz*.

- ***Faulschnee*** est mixtura aquae et glaebarum nivis maiorum, quae non iam bene cohaerent (***Schneematsch***, in Helvetiâ ***Pfletsch***). Quam nos Latinê appellemus secundum exemplum Italorum ***pultem nivalem*** (cfr italicê *poltiglia di neve*)

### 7.3 ratione praecipitationis:

- Ad limitem temperaturarum (transitus in altitudine) aut in tempestatis mutationibus cadit ***pluvia nivalis***, id est mixtura nivis et pluviae (in Germaniâ australi *Schneebatzen*)

### 7.4 ratione coloris:

- ***Nix sanguinea*** est colore rubro. Quae plerumque efficitur ortu algarum viridium massali (e.g. specie algarum, quae scientificê denominatur *Chlamydomonas nivalis*), quae accumulant carotinoida rubra. Massis pulveris, qui est colore rubro, et harenarum subtilium, quae ventis e regionibus desertorum afferuntur, nix colorem ducit plerumque valdê levem, qui est rubello-albo-fuscellus (*rötlich-beige*).
- In molibus glacialibus et stratis nivis arcticis etiam inventus est nivis coloratio viridis, quae efficitur algis nivis cryophilis.

### 7.5 ratione densitatis:

densitas	Nomen
$30\dots50 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	<b><i>nix nova laxa</i></b>
$50\dots100 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix nova cohaerens
$100\dots200 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix nova fortiter cohaerens
$200\dots400 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix vetus sicca
$300\dots500 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix vetus umido-madida
$150\dots300 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix natatilis
$500\dots800 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	nix plurium annorum
$800\dots900 \text{ kg}\cdot\text{m}^{-3}$	<b><i>glacies</i></b>



## 7.6 ratione proventū et originis:

- *nix volatica* est nix valdē subtilis, quae effectu venti in domos invadit.



- *Schneeverwehung* est accumulatio vento transferente effecta, cuius altitudo insigniter superare potest copiam nivis praecipitati. Tales accumulationes ventigenae efficere possunt, praesertim in montibus, structuras superpendentes, quae appellantur *Wechten*.
- *Nix technica* (sermone remissiore: *Kunstschnee*) est nix artificialiter fabricata.
- *Schneegestöber* nuncupantur flocci nivales, qui in aliquo loco aëris rapidē gregatim sursum agitantur vento forti, haustu aëris, forti percussione.

## 8 Qualitates nivis thermicae

- *Nivis conductivitas thermica* pendet a structurā atque texturā et augetur densitate. Quae est inter aëris [0,0247 W/(m·K)] et glaciei [2,2 W/(m·K)]<sup>[21]</sup> conductivitatem thermicam. Quia nix insulat, processū liquefaciendi pro temperaturā humi suppositae ad latus strati nivalis iam incipere possunt, quamquam temperaturae sunt infra punctum liquefactionis. Tegimen nivale cum humum agri

protegat a gelu nimis duro, praecipue prodest agriculturae. Si humus adhuc obtecta est reliquiis nivis, sub tegimine iam germinant primi nuntii veris, velut *Galanthus nivalis*. Effectus nivis insulatorius ab Esquimensibus adhibetur in *iglu* aedificando etiam contra ventum atque caloris amissionem. Praeterea hic effectus etiam prodest iis, qui se nivi infodiunt necessitate pernoctandi coacti, praesertim si dormire possunt in sacco dormitorio, aut eo quod nivem aggerunt parietibus exterioribus casae ligneae, quae non est a vento secura.<sup>[22]</sup>

- Nix est specificâ capacitate calorificâ 2,106 kJ/(kg.K) (in gradu temperaturae Celsiano zerotico). Eadem ferê aequalis est specificae capacitati calorifica, quam habet glacies. Quae deminuitur temperaturâ delabente.
- Nivis calor liquefaciendi latens est 335kJ/kg (in gradu Celsiano zerotico et pressione normali).<sup>[21]</sup> Uno chiliogrammo aquae, quae habet calorem octoginta graduum Celsianorum, liquefieri potest unum chiliogrammum nivis. Productum finale sunt duo chiliogramma aquae, quae habent calorem gradûs Celsiani zerotici.

## 9 Nix quid valeat

### 9.1 Nix quid valeat ad clima et circumiecta



In regionibus, ubi tegimen nivale est bene efformatum, magno valore albedinis, quo est nix, plus lucis solaris reflectitur in atmosphaeram terrestrem, ut solum minus fortiter calefiat.<sup>[23]</sup> E contrario radiatio calorifica atmosphaerae nive perbene absorbetur.<sup>[24]</sup> Praesertim ea radiatio inter processum liquefaciendi adhibetur ad energiam ligationis molecularum aquae superandam. Nix, quae recenter cecidit, constat ex 95% (nonagenis partibus centesimis) aëris inclusi ideoque est bona

insulatrix caloris, quâ plantae sub tegimine nivali proteguntur ab acri vento et humo gelidissimis.

## 9.2 Nix quid valeat ad homines



Ubi nix non solet iacêre nisi hieme, mutatio plagarum eâdem effecta habet etiam vim aestheticam. Nix est etiam metaphora hiemis generalis. Tempora nivosa consuetudinibus vivendi, sensuum impressionibus, otii degendi delectamentis vehementer differunt a temporibus, quibus nix deest. In philotheoriâ<sup>1</sup> sive periegesi nix multum valet, velut disportu hiemali. Parvulis maximê placet construere viros nivales et proelia committere globulorum nivalium.

*Labinae nivales*, quae oriuntur in montibus nivosis, sunt valdê periculosae. Iisdem enim obrui possunt toti vici. Nivicidiis magnis (calamitatibus nivalibus) etiam effici possunt detimenta gravissima (aedificia nimium onerata, casûs arborum, vici a circumiectis seiuncti).

*Lubricitate* nivis glacieique in viis commeaticiis magnum imminet periculum nec raro fluxus vehicularum prorsus interrupitur. Post magna nivicidia viae saepe non iam autocinetu percurri possunt nisi canthis rotarum adiunguntur *catenae nivales*. Si viae stratae nive aut glacie sunt obtectae, ministratio hiemali mandatur, ut nivem glaciemve removeat.

---

<sup>1</sup> **philotheōria**, -ae f. i.q. *Tourismus*. Dicitur etiam **periegēsis**.



In regionibus philotheoricis, quae disportui nivali oeconomicê sunt obnoxiae, adhibentur **cannones nivales**, quibus, si nix naturalis parum sufficienter cadit, fabricent nivem artificialem, quae aliquatenus differt a naturali.

Nix habet etiam effectûs acusticos: si est laxa eo quod singulis floccis interest multum aëris inclusi, soni eâdem diminuantur. Itaque hiems est tempus quiescendi atque animi recreandi.

## 10 Nivis investigatio

### 10.1 Historia nivis investigandae


Structura floccorum nivalium constanter hexagonalis in Imperio Sinico, si tardissimê, iam ex secundo saeculo a.Chr.n. erat nôta. In occidente haec qualitas floccorum primo animadversa est anno 1591 a **Thomâ Harriot** mathematico; quem structuram observatam non publicasse dolendum est. Quasdam adnotationes ad formam crystallorum nivalium multiplicem a **Iohanne Keplero** et **Renato Cartesio** scriptas esse nôtum est, sed primus floccorum nivalium investigator systematicus fuit **Ukichiro Nakaya** Iapon physicus, qui a.1936 primum omnium scivit fabricare **floccos nivales syntheticos** eorumque a.1954 distribuit in plus ducenta genera.

### 10.2 Nivis mensurationes

Copia nivium mensurari solet **hyetometris** sive **pluviometris**<sup>1</sup>, in quibus, ne nive vento afflato obtegantur, statuuntur **cruces nivales**.

---

<sup>1</sup> \*hyetometrum, -i n. sive \*pluviometrum, -i n., theod. *Regenmesser*. cfr Ludwig August Kraus, Kritisches-Etymologisches Medicinisches Lexikon. 2., vermehrte Auflage, Göttingen 1844, p.490: „Hyetometrum, der Regenmesser, das Hyetometer, pluviometrum, ein Werkzeug zur Bestimmung der Menge des Wassers, welches binnen einer bestimmten Zeit aus der Luft herabgefallen ist.; v. Hyetos u. Metrum.“



### HYETOMETRUM HELLMANNIANUM.

F= apertura receptoria, 200 qcm

A= receptaculum

T= infundibulum

S= capsula protectoria

K= hirnea collectoria

B= **crux nivalis**, qua impediatur, ne nix collecta vento effletur

Crassitudo tegiminis nivalis mensuratur *pagellis* aut *specillis nivalibus*<sup>1</sup>. Accrementum autem mensurari potest etiam *ultrasono*. Copia nivis novae, quamquam mensuratur per spatium 24 horarum, interdum sub nomine *summae nivis novae* (*Neuschneesumme*) indicatur copiis complurium dierum inter se additis (e.g. summa nivis novae trium dierum). [\[25\]](#)

*Portio aquatica* (aequivalens tegiminis nivalis) et *densitas nivalis* valent ad climatologiam et hydrologiam. Etiam *limes nivalis*, quo inter se disiunguntur regiones nive obtectae et nivis expertes, est gravis magnitudo climatologiae significativa.

---

<sup>1</sup> **pāgella nivālis** i.q. orig. *Schneepiegel*. 1. cfr Kluge, Etymologisches Wörterbuch der Deutschen Sprache, 21. ed., Berolini & Neo-Eboraci a.1975, p.537, s.v. Pegel. --- **specillum nivāle** i.q. orig. *Schneesonde*.

## 11 Securitas nivalis



In disporto hiemali regio aliqua dicitur esse *nivis securae*, si minimum per centum dies tegimen nivale habet ad disporto scridandi<sup>1</sup> sufficiens, i.e. triginta centimetrorum (quoad scridationem alpinam) aut quindecim centimetrorum (quoad scridationem borealem). Hoc tempore regiones circiter mille ducentis metris altiores putantur esse nivis securae. Securitas nivalis in regione scridandi eligenda maximē valet. Itaque securitas nivalis in regionibus montanis philotheoriae hiemali obnoxiiis multum valet ad oeconomiam. Propter *calefactionem globalem* fortasse fieri poterit, ut nonnullae regiones disportūs hiemalis inferiores habeant altitudines nivis parum sufficientes.<sup>[26]</sup> OECD, i.e. *organisatio cooperationis et evolutionis oeconomicae*, aestimat fieri posse, ut in Austriā circiter 70% (septuagenae partes centesimae regionum scridandi amittant securitatem nivalem. Ut evitetur *paenuria nivis*, ex annis multum pecuniae erogatur ad ***machinamenta ningendi*** construenda.<sup>[27]</sup>

## 12 Nivis calamitates

Nivicidio perquam forti et diurno necnon procellis nivalibus effici possunt ingentes calamitates damnosissimae. Nonnullis in mundi regionibus *procellae nivales* cum sint frequentiores, appellantur nominibus specialibus: ***Blizzard*** appellatur procella in Americā Boreali et in regione antarcticā et in Lapponiā; ***Purga*** in Asiā Centrali; ***Yalca*** in Andibus in Peruviā boreali sitis. ***Ministratio Tempestatis Germanica*** nivicidium plus decem centimetrorum per sex horas aut

---

<sup>1</sup> **scrīdō**, -āre i.q. theod. *Ski fahren*

plus quindecim centimetrorum per duodecim horas definit ***tempestatem calamitosam*** (*Unwetter*).<sup>[16]</sup>

**Calamitates nivales damnosissimae** fuerunt:

- a.1888 magna procella nivalis in Civitatibus Unitis facta
- a.1978 calamitas nivalis in Germaniâ boreali facta
- a.2005 chaos nivale circa urbem Monasterii factum

## 13 Nix quomodo exhibeatur ab artificibus


In historiâ artis figurativa est imago nivis thema frequens, cui unâ aetate alia vis est attributa ac altera: Medio autem aevo homines eorumque valetudo naturae obnoxii hieme in periculum adducti sunt. Propter progressum socialem et technicum hiems nobis hodie raro tantum est periculosa. Plaga hiemalis renascentiâ artium cum evanisset, saeculo duodevicesimo exeunte ab artificibus renovata est. Primo plaga hiemalis more aetatis romanticae considerata est, postea a pictoribus magis respiciuntur subtilitates colorum hiemalium.<sup>[28]</sup>

## 14 Trivialia

- Latê patet error, quo creduntur *Esquimenses* habere multo plura nomina nivis quam nos.
- A nive distinguitur oportet *nix polaris* sive *pulvis adamanteus*, qui oritur resublimatione.
- *Nix industrialis* appellatur nivicidium locale, quod efficitur electricinis aut aliis fabricis maioribus.
- *Effectus Lacuum magnorum* est phaenomenon tempestatis, quod appetat prope Lacûs Magnos Americae Borealis. Quo effectu fiunt nivicidia exaucta localia.
- Multum nivis si cadit sine vento, in silvâ efficitur *nivifragium*, ad aedificia protegenda in calculis staticis respiciuntur onera nivis, quibus tectum premitur.
- *Caecitas nivalis* est detrimentum oculi, quod cum ceteris tum praecipue efficitur eo quod lux sôlis nive reflectitur.
- Iapones hortulani methodo *yukitsuri* adhibitâ cavent, ne rami arborum onere nivis frangantur.

- Si nix sat calida duabus manibus conglobatur, ut efformetur globus nivalis solida, fit ***processus syntecticus***<sup>1</sup>

Nix est argumentum praecipuum nonnullarum fabellarum, velut ***Reginae nivalis*** Anderseniana, ***Niveolae*** Grimmiana, i.e. puellae, cuius cutis est colore niveo, necnon fabellae, quâ narratur, quomodo nix acceperit colorem suum a ***Galantho nivali***.<sup>[29]</sup>



**ECCE AULICI PROELIUM GLOBORUM NIVALIUM COMMISSURI**  
**Pinxit Magister Venceslaus circa a.1400.**

<sup>1</sup> σύντηξις neogr. *Sinterprozess, Versinterung*. Adiectivum graecum est συντηκτικός.



**VENATORES IN NIVE VERSANTES.**  
**A.1565 pinxit Petrus de Bruegel maior.**



**PLAGA NIVALIS CUM DECIPULA AVIUM.**  
**A.1565 pinxit Petrus de Bruegel maior.**



**SCAENA HIEMALIS CUM VIRO PORCUM MACTANTE.**  
**A.1650 pinxit David Teniers minor.**



**MARE GLACIALE.**  
**A.1823-24 pinxit**  
**Caspar David Friedrich.**

## 15 Litterae speciales ad nivem spectantes

- Kenneth G. Libbrecht: *Wie Schneekristalle entstehen*, Spektrum der Wissenschaft, 2008 (Februar), S. 36ff.
- Dietz, A., Kuenzer, C.; Gessner, U.; Dech, S.: *Remote Sensing of Snow – a Review of available methods*. In: *International Journal of Remote Sensing*. 2012. [doi:10.1080/01431161.2011.640964](https://doi.org/10.1080/01431161.2011.640964).

## 16 Loci testes

- Wolfgang Pfeifer, *Etymologisches Wörterbuch des Deutschen* Deutscher Taschenbuch Verlag (dtv), München 2000, 5. Auflage, S. 1229.
- • Jan Oliver Löfken: *Der wahre Gefrierpunkt von Wasser – minus 48 Grad Celsius*. In: [pro-physik.de](http://pro-physik.de). [Wiley-VCH Verlag](#), 24. November 2011, abgerufen am 26. Dezember 2017.
- • Gerhard Karl Lieb: [Schnee und Lawinen](#). Vorlesung im WS 2001/02, Institut für Geografie und Raumforschung, Graz.
- • Webseite über „[Wilson A. Bentley](#)“.
- • Kenneth G. Libbrecht ausführlich hierzu „[Snowflakes – No Two Alike](#)“
- • Kenneth G. Libbrecht: [Frequently Asked Questions about Snow Crystals](#), Webseite eines Physikprofessors am [Caltech](#).
- • Kenneth G. Libbrecht: [Snowflake Myths and Nonsense](#).
- • [Artikel „Snow at above freezing temperatures“](#) der Webseite [ScienceBits](#).
- • [Snowflakes as Big as Frisbees?](#) Artikel vom 20. März 2007 in der Online-Ausgabe der [New York Times](#).
- • Lawrence A. Crum, Hugh C. Pumphrey, Ronald A. Roy, and Andrea Prosperetti: *The underwater sounds produced by impacting snowflakes*. In: *Journal of the Acoustical Society of America*, Band 106, Nr. 4, 1999, S. 1765–1770.
- • Tahani Alsarayreh, Len Zedel: *Snow falling on water, does it really make noise?* In: *UAM Proceedings*, 2009, [PDF, 46 MB](#), S. 945ff.
- • Bart Geerts: [Fall speed of hydrometeors](#), Teil der [Resources in Atmospheric Sciences](#) der [University of Wyoming](#).
- • Melanie Bergmann, Sophia Mützel, Sebastian Primpke, Mine B. Tekman, Jürg Trachsel, Gunnar Gerdts: *White and wonderful? Microplastics prevail in snow from the Alps to the Arctic*. In: *Science Advances*. 5, 2019, S. eaax1157, [doi:10.1126/sciadv.aax1157](https://doi.org/10.1126/sciadv.aax1157).
- • Der Begriff Starkschnee wird z. B. in dieser Publikation verwendet: [Verhalten von Luftschadstoffen im Zuge des Klimawandels](#), BayCEER Workshop 2009, Bayreuther Zentrum für Ökologie und Umweltforschung.
- • [Eintrag Niederschlagsintensität, Abschnitt Schnee \(auch Industrieschnee\)](#) im Wetterlexikon des [Deutsche Wetterdiensts](#), abgerufen am 15. Januar 2019
- • [Warnkriterien](#), Deutscher Wetterdienst, abgerufen am 22. Januar 2019
- • [Niederschlag](#) auf der Website von [Meteoschweiz](#), abgerufen am 15. Januar 2019
- • [Intensitätsmerkmale bei Wettererscheinungen](#) auf [wetter-express.de](#), abgerufen am 15. Januar 2019
- • Gerhard Karl Lieb: *Schnee und Lawinen*. Vorlesung im WS 2001/02, Institut für Geografie und Raumforschung, Graz.
- • [Vereisung in der Luftfahrt – Teil 2: Mischeis und Backschnee](#), Artikel auf [wetterdienst.de](#) vom 16. Oktober 2020, abgerufen am 11. Februar 2021.
- • M. Schöniger, J. Dietrich: [Vorlesung Hydrologie, Online-Script, 8.4 Physikalische Eigenschaften der Schneedecke \(Memento vom 7. März 2016 im Internet Archive\)](#).
- • Bundesarchiv: Der General der Eisenbahntruppen auf Dienstreise an der Ostfront. [Unterkunft des Stationspersonals, Dezember 1942. – Bild eines einfachen Rundbaus, an dessen Außenwänden Schnee fast wandhoh aufgeschichtet ist. Ostfront der Deutschen in Russland](#). Abgerufen am 17. Jänner 2019.
- • [Der Treibhauseffekt bei Quarks & Co](#)
- • Gösta H. Liljequist, Konrad Cehak: *Allgemeine Meteorologie*, Seite 12, Nachdruck der 3. Auflage von 1984. Springer, 2006, [ISBN 978-3-540-41565-7](#).
- • [Glossar](#) der European Avalanche Warning Services.
- • [Klimaänderung und Schneesicherheit](#) (PDF; 340 kB) Aufgerufen am 8. April 2013.
- • BUND Naturschutz, Garmisch-Partenkirchen: [Der künstliche Winter \(PDF; 624 kB\)](#). Aufgerufen am 17. Jänner 2019.
- • [Ausstellungskatalog: Ein Wintermärchen, Kunsthaus Zürich, 2012](#)

- Mönckeberg, Vilma: Die Märchentruhe, Ellermann Verlag, 8. Auflage 1990, S. 7



# हिमालय

**Haec symbola Wikipedianā d.31. m.Dec. a.2005 recepta est**

**in indicem symbolarum lectu dignarum.**

**CHIONOLOGIAM**

**COMPOSUIT**


**SYMBOLĀ WIKIPEDIANĀ**

**LATINĒ REDDENDĀ**

**LEO LATINUS**

# ***Latinitas et doctrinarum orbis***

## 10 aprilis - 2 iulii, a. 2021



### **What is it?**

Too often we have a tendency to relegate Latin to antiquity, forgetting that after the fall of the Roman empire, for 1500 years, the language of Rome was the language of culture and encounters between diverse people and fields. Through this series of lectures, under the meaningful title of *Latinitas et doctrinarum orbis*, we want to reveal the many connections between Latin and the modern age.

### **Qu'est-ce que c'est?**

Con mucha frecuencia se tiende a relegar el latín a la antigüedad, olvidando que, tras la caída del Imperio romano, la lengua de Roma fue, durante quince siglos, la lengua de cultura y de contacto entre pueblos y diversas disciplinas. Mediante este ciclo de encuentros, con el título representativo: *Latinitas et doctrinarum orbis*, queremos mostrar los múltiples vínculos del latín con la edad moderna.

### **Qu'est-ce que c'est?**

Nous avons fréquemment tendance à cantonner le latin à l'Antiquité, en oubliant, qu'après la chute de l'Empire Romain, la langue de Rome fut pendant quinze siècles celle de la culture et de communication entre des peuples et de diverses disciplines. A travers ce cycle de rencontres qui a pour titre représentatif *Latinitas et doctrinarum orbis*, nous désirons montrer les multiples liens entre le latin et l'Époque moderne.

## Che cos'è

Troppo spesso si tende a relegare il latino nell'antichità, dimenticando che dopo la caduta dell'impero romano la lingua di Roma è stata per quindici secoli lingua di cultura e d'incontro tra popoli e discipline diverse. Con questo ciclo d'incontri, dal titolo significativo *Latinitas et doctrinarum orbis*, vogliamo appunto mostrare i molteplici legami del latino coll'età moderna.

**More information - Más información -  
Plus d'informations - Maggiori informazioni**



[LAT] Latinae graecaeque linguae magistrorum  
grex sumus, qui harum linguarum litterarumque  
scientiam divulgandam nobis proposuimus.

[EN] We are a team of Latin and Greek teachers  
and our goal is to promote and spread the study  
and knowledge of the Latin and Greek languages  
and literatures.

### Schola Latina

Via Sorbo 70, Montella (AV) - Italia  
[www.scholalatina.it](http://www.scholalatina.it) - [info@scholalatina.it](mailto:info@scholalatina.it)

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor - nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM TRICESIMAM SEXTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae  
19. m.Apr. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae